This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



Lp 26. 647.

Bd. 1873.



BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).

Recd. 28 Oct. 1863.

QUOMODO

GRÆCOS POETAS

PLAUTUS TRANSTULERIT?

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

G. BOISSIER

LICENTIATUS, SCHOLÆ NORMALIS QUONDAM ALUMNUS,

IN LYCEO NEMAUSENSI RHETORICÆ PROFESSOR.

PARISIIS,

APUD ST. GIRAUD BIBLIOPOLAM,

VIA DICTA DAUPHINE, 16.

1857

QUOMODO

GRÆCOS POETAS

PLAUTUS TRANSTULERIT?

Paris. — Imprimerie de Bouadisa et C°, rue Mazarine, 30.

QUOMODO

GRÆCOS POETAS

PLAUTUS TRANSTULERIT?

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

G. BOISSIER

LICENTIATUS, SCHOLÆ NORMALIS QUONDAM ALUMNUS,
IN LYCEO NEMAUSENSI RHETORICÆ PROFESSOR.

PARISIIS,
APUD ST. GIRAUD BIBLIOPOLAM,
VIA DAUPHINE, 16.

1857.

Lp 26.647

1863. Aug. 28.
.56
Salisbury Fund.

DOCTISSIMO AC DILECTISSIMO

MAGISTRO SUO,

ERN. HAVET,

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI AGGREGATO,
OLIM IN NORMALI SCHOLA,
NUNC IN COLLEGIO FRANCIÆ ET IN SCHOLA POLYTECHNICA
PROFESSORI,

Opusculum hoc merito gratus dedicat

G. B.

QUOMODO

GRÆCOS POETAS

PLAUTUS TRANSTULERIT?

Quanquam Plautus se fabulas suas ex alieno fonte hausisse aperte declaret, immo glorietur, nihilque sibi suis in operibus arroget, seque Athenas Atticas intra Romana mœnia, sine architectis, collaturum polliceatur [1], plurima tamen vel summatim Plautinas comœdias evolventibus obversantur Romanæ plebis ingenium plus æquo redolentia, quæ mentem nostram e Græcia, ubi res geruntur, Romam revehunt, nec sinunt dubitare quin Græca opera ad Romanos usus moresque, liberior interpres, frequentius detorserit [2]. At si hoc, quod cito suspicamur, manifestius indicare penitusque recludere voluerimus, et, in hac Græcarum fabularum imitatione, quæ vere Plautina sunt eruere, magni laboris rem aggrediemur. Periere enim Diphilus, Philemo, Menander, ceterique quos Plautus *barbare vorterat*, et, per temporis barbarorumque invidiam, translata cum exemplaribus conferre nobis non licet. Vix pauca eorum

[1] *Trucul.*, prol. — [2] Locos illos, in quibus Romani mores referuntur, diligentissime jam notavit egregius vir et apud Francos optime de Plauto meritus, J. Naudet; cui qui Plautinam aliquam quæstionem enucleandam suscipit non potest sine piaculo, opus suum auspicatus, debitas grates non persolvere.

fragmenta, quæ supersunt, et veterum auctorum testimonia, et Terentii fabulæ, quas fuisse e Græco fidelius expressas constat, aliquam hujus amissæ comœdiæ speciem ad nos traduxere. Sed, si nulla alia subessent, queis opus nostrum inniteretur, difficile esset de Plauti inventione vera judicare, et temere nos hariolari merito quis incusaret. Ipse autem Plautus nobis auxilio adest, et opem aliquam incertis et ambigentibus præstat.

Illi enim poetæ, qui sunt erudito instructi judicio, et ad litterarum disciplinas apprime informati, nihil magis assequi volunt, quam ut opera sua sibi constent, et partibus inter se optime cohærentibus conflentur. Quorum si numero Plautus esset adscribendus, dedisset operam ut partes quæque fabularum suarum inter se congruerent, neque, exempli gratia, agoranomos juxta ædiles [1], Thaletem cum Potitio [2], Romam in media Græcia posuisset. Sed talia nec ejus ætas, nec ingenium requirebant : populus quæ moverent risum potius efflagitabat, quam quæ superbas doctorum aures implerent; poeta quodam ingenii impetu magis valebat, quam laboris diligentia. Quæ cum ita essent, nec ea occultavit quæ de græcis transferebat, nec ea, quæ de suo adjiciebat, curavit ut optime cum translatis coalescerent. Male juncta igitur sejungere facilius erit, quumque inter se sæpissime dissideant, prodere ipsa ac significare ultro videbuntur cuinam sint potissimum scriptori referenda.

Itaque, quoties de eis, quæ enucleanda et explananda aggressus sum, tacebunt veteres critici (quod sæpius quam vellem eveniet) quærere institui an ex Plauto ipso non possit aliqua lux nobis affulgere, qua duce, quid

[1] *Captiv.*, IV, 2, 43. — [2] *Bacch.*, I, 2, 14.

Græcis poeta, quid sibi debuerit agnoscamus, aut saltem probabilius suspicemur.

E Plautinis, qui supersunt, prologis noscimus quosnam potissimum Græcos auctores poeta secutus sit. Nam se *Rudentem* ex Diphilo expressisse ait, *Asinariam* ex Ὀναγῷ Demophili, *Casinam* ex Diphili Κληρουμένοις, *Mercatorem* ex Ἐμπόρῳ Philemonis, ex Θησαυρῷ ejusdem poetæ *Trinumum*. *Commorientes*, quam Varro fabulam e numero Plautinarum eximebat, Συναποθνήσκοντας Diphili retulisse Terentius nos, in *Adelphorum* prologo docet. *Bacchides* Ritschelius ex Menandri Δὶς ἐξαπατῶντι versas esse non inepte conjecit : ille enim *Bacchidum* toties decantatus versus :

Quem di diligunt,
Adulescens moritur [1].

est hoc Menandreo ad verbum expressus :

Ον οἱ θεοὶ φιλοῦσιν ἀποθνήσκει νέος [2].

et pleraque Græcæ fabulæ fragmenta cum latina satis conveniunt. *Cistellariam* quoque eidem esse tribuendam poetæ censeo, in qua duo includuntur versus quos a Menandro desumptos fuisse Hermogenes profitetur [3].

[1] *Bacch.*, IV, 7, 18.— [2] Men., Didot, Δὶς ἐξαπ., 4. — [3] Men., *Fragm. inc.*, 32.

Quod vero spectat ad *Pœnulum* et ad *Mostellariam*, quas nonnulli critici Καρχηδονίῳ Menandri et Φάσματι Theognetis referunt, nequire eis assentire fatebuntur qui Græca fragmenta idoneum in latina fabula locum non habere animadvertent. Ceteræ vero Plauti comœdiæ, quarum periere prologi, ex quo fuerint poeta expressæ, latet; sed quum nec argumentorum delectu, nec habitu personarum valde ab aliis differant, quas ex Menandro et Philemone transtulerat, procul omni dubio est aut ex eisdem fuisse ductas, aut saltem ex aliis ejus ætatis scriptoribus qui eamdem rationem et viam in scribenda comœdia usurparent.

Nec est cur miremur Plautum veteresque Romæ poetas novæ Græcorum comœdiæ se potissimum applicuisse. Ea enim comœdiæ forma sola apud Græcos vigebat, quum latini a Græcis aliquam formam comœdiæ mutuati sunt; ea, seu gratia novitatis, quæ, quum in ceteris rebus, tum præsertim in theatro valet, seu quod erat melius et novis moribus et novis institutis accommodata, comœdiam veterem superaverat, et fere oblivione deleverat; eam solam in theatro Tarentino Livius Andronicus admiratus erat, nec poterat aliam in Romanum theatrum transferendam cogitare. Plautus igitur ejusque æquales novam comœdiam secuti sunt, sed fato quodam et, ut ita dicam, necessitate, potius quam delectu et studio; et haud scio an ea causa fuerit cur omnes hos poetas, nullo fere habito discrimine, imitarentur, nec viderentur curare quis ceteris ingenio et arte præstitisset. Plures enim e Diphilo et Philemone fabulas Plautus transtulit, quam ex Menandro. Mox autem politiores facti Romani, Græcarumque litterarum peritiores, hunc imitandum sibi poetam imprimis optabunt

quem Græci ἄστρον τῆς νέας κωμῳδίας vocaverant[1]; tunc eos alliciet et detinebit exquisita illa morum elegantia, et lepidior urbanitas, et excelsitas philosophiæ qua visus est Quintiliano Menander *omnibus ejusdem operis auctoribus abstulisse nomen*, et *fulgore suæ claritatis ceteris tenebras obduxisse*[2].

Sed quæ Romanos politiores delectavere, ea rudibus et incultis minus erant placitura. Quomodo enim rustici urbanitate, barbari elegantia detinerentur? Plautini nos prologi monent quinam spectatores tunc in Romanum theatrum, festis diebus, convenirent: scilicet plebs illa castrensi vitæ et operi rustico assueta, quietis inimica, silentii impatiens, cui nihil magis cordi erat quam si scurriliter jurgantes et manum etiam conserentes contemplaretur; vere proavi eorum quos, postquam fuere tempore et litteris exculti, Horatius tamen *asellos surdos* nuncupabat[3]. En quibus spectandæ tradebantur doctæ Menandri fabulæ! talibus spectatoribus multo aptior sine dubio fuisset vetus quam nova Græcorum comœdia, quæ, quum ad protervitatem et petulantiam esset proclivior, magis quam Menandrea elegantia globum hunc ex militibus et agricolis conflatum oblectavisset. Confitendum igitur est inter hos veteres Romæ poetas et veteris Græcorum comœdiæ auctores quamdam exstitisse affinitatem, qua natura conjungebantur; et, quanquam Latini scriptores Menandrum et Philemonem fato quodam, ut dixi, potius retulerunt, fieri tamen potuit ut ad vetustiores aliquoties remeare, et ea, quæ rudes Græcos, necdum ad urbanos elegantesque mores infor-

[1] *Schol. Aristoph.*, Didot, prol. 22. — [2] Quint., X, 1. — [3] Hor., *Epist.*, II, 1, 199.

matos toties in risum solverant, rusticioribus Romanis apponere non recusaverint.

Ut remotissima primum repetamus, de Doriensium etiam comœdia nonnulla expressisse Plautus creditur; nec defuere qui eum *Amphitruonem* suum ab Epicharmo esse imitatum contenderent [1]; quod mihi primum attente inquirendum videtur.

Neminem latet Epicharmum plurima fabularum argumenta ex historia Deorum tragœdiarumque parodia traxisse; sed hoc ei soli proprium et peculiare non fuit, quamque viam primus recluserat, veteres etiam poetæ, exemplum ejus secuti, ingressi sunt. Media autem comœdia, quum e rebus publicis migrare esset coacta, nec privatos adhuc mores attingere didicisset, ad mystica sæpissime argumenta confugit, et nulla unquam ætas talibus fabulis fuit uberior. Quamvis hæ fabulæ videantur novæ comœdiæ minus placuisse, ut quæ moribus quotidianæ vitæ referendis intenta, in terram, ut ita dicam, descendisset, huic tamen non fuere omnino alienæ, siquidem *Herculem* et *Thesea* Diphilus, Athenæo teste, ediderat. Quum autem tot varii auctores, diversissimis temporibus, Deos et heroas, coram protervis spectatoribus, agere fabulas coegerint, quæ est causa cur *Amphitruonem*, ad titulum solum respicientes, Epicharmo tribuamus? Quod si vero animadvertamus quam perite in hoc opere deducatur actio, quamque docte inter se jungantur scenæ, hanc fabulam, quæ Aristophanis etiam artem multum exsuperat, ætati remotiori et vixdum puerascenti comœdiæ nullo modo concedi posse fatebimur. Quid autem impedit quin sus-

[1] Schlegel, *Cours de litt. dram.*, I, 381.

picemur hanc Amphitruonis historiam, quam Rhinto jam apud Dorienses et Athenis Archippus scenæ commiserant, quum esset ridicula satis et salibus ferax, fuisse a recentiore quodam poeta repetitam et ad mores novæ comœdiæ magis accommodatam? hoc nescio an liceat conjicere ex Mercurii verbis in Plautino prologo dicentis :

Veterem atque antiquam rem novam ad vos proferam [1].

At enim *Amphitruonem* suum Plautus tragico-comœdiam vocavit; quod verbum quidam ἱλαροτραγῳδία Doriensium respondere arbitrati sunt. Sed nos Plautus ipse monet se, quum tale nomen fabulæ suæ indidit, de ἱλαροτραγῳδία minime cogitasse. Non voluit eam esse tragœdiam, in qua servus partes haberet, nec comœdiam, in quam Di et reges convenirent; et fecit ut *commixta esset tragico-comœdia* [2]. Immo Plautina fabula, penitus eam inspicienti, nihil habere videtur quo ἱλαροτραγῳδίαις seu parodiis annumeretur. Parodiæ proprium est, ut risum moveat, res omnino in contrariam partem convertere, gravissima et sanctissima quæque in nugas deprimere, ita ut in personis effingendis et in salibus spargendis aliquid nimium insit, quo irridendi voluntas prodatur. Epicharmi fragmentis apparet quam ridicule, quam contumeliose heroas aut Deos in scenam traduxerit; Jovem, Neptunum, Herculem, tanquam gulosos et helluones, Vulcanum ut stolidum scurram, Musas ipsas ut mensarum Sicularum appetentes et ventri deditas irridet. Quam clementius Deos in *Amphitruone* suo

[1] *Amphit.*, prol. 118. — [2] *Amphit.*, prol. 59.

Plautus habuit! Quanquàm non contendere ausim nihil eis de dignitate sua fuisse detractum; *faciunt histrioniam*, ut loquitur Plautus [1], nec est par Olympo scena comica. At illi, si Epicharmum et Aristophanem cogites, aut saltem Platonem hunc, priscæ comœdiæ non insulsum poetam, et fabulæ auctorem quæ Ζεὺς κακούμενος inscribitur [2], quam excelsi, quam sui memores, quam vere Dii videbuntur! Hic enim Jupiter inducitur non ab aliis derisus, non κακούμενος, ut in Græca Platonis fabula, sed alios deridens et decipiens. Amphitruonem quam male habeat neminem fugit, cui facies, et uxor, et servi, et prandium, et domus ipsa surripiuntur. Adde quod in illa parte fabulæ quæ periit, scimus eum non solum a Jove fuisse ludificatum, sed a Mercurio ipso aqua probe inspersum [3]. Nos quidem sublimiore religione instructi, et de divina majestate altiora sentientes, Deos ad clandestinos amores demitti, et fœdissimo dedecorari adulterio non pateremur. Ea vero cura Romanos spectatores minime sollicitabat, et si quis adulteria Jovem parum decere contendisset, credo omnes eadem quæ Mercurius, patrem excusans, fuisse responsuros :

> Amat; recte facit quando animo obsequitur suo [4].

Quod si eum, dum *suo obsequitur animo*, divinam majestatem nimis depressisse doleas, redit illa sub finem fabulæ integra et pæne socco major. Tunc immutari videtur scribendi ratio, et ex comœdia fere in tragœdiæ dignitatem migrare. Mortalem formam exuit Jupiter, et qui modo Amphitruo fuerat fit, ut ait Bromia, *summus*

[1] *Amphit.*, prol. 152. — [2] *Poet. comic. frag.* Didot, 228. — [3] *Amphit.*, III, 4, 18. — [4] *Amphit.*, III, 4, 12.

Divum hominumque imperator [1]. Tum se Deum manifestis signis declarat; sedes fulmineo quatit sonitu, quo pavidi homines ad terram affliguntur, et tantam omnibus potestatis suæ reverentiam incutit, ut non immerito, ad spectatores conversus, benignior dicat Amphitruo :

> Jovis summi causa plaudite.

Omnia hæc quid cum parodia simile habeant, aut cur ex Epicharmo, Rhintone et ἱλαροτραγῳδοῖς desumpta esse dicantur me non deprehendere fateor.

Itaque nec *Amphitruonem*, nec ceteras Plauti fabulas, quæ majorem peritiam maturioremque ætatem denuntiant, ex veteribus Doriensium auctoribus fuisse translatas crediderim. Non sequitur tamen poetam ab eis imitandis omnino abstinuisse, nec potuisse fabulas e nova comœdia desumptas quibusdam jocis ab Epicharmo decerptis serere. Locupletem testem hujus Epicharmeæ imitationis habemus laudatissimum hunc Horatii versum :

> Plautus ad exemplum Siculi properare Epicharmi
> (dicitur) [2].

Sed quo sensu Plautum *properare* dixerit Horatius, certant critici, nec satis liquet. Non eis assentire possum qui inde incusari Plautum credunt quod scripserit properantius laboremque limæ et moram effugerit; qua quidem exprobratione Horatium veteres poetas, qui lituram turpem reputabant, frequentissime vellicasse non

[1] *Amphit.*, V, 1, 69. — [2] Hor., *Epist.*, II, 1, 58.

negaverim. Hic vero Horatius non quid ipse censeat prodit, nec nomine suo loquitur; loquentes inducit hos veterum poetarum defensores toties in *Satiris Epistolisque* lacessitos, qui Plauti sales numerosque nimium patienter ferebant, eumque quod in comœdiis *properaret* admirabantur, nedum vitio verterent; quidquid igitur significare voluerint, in laudem Plauti convertere necesse est. Non tamen dici potest Plautus *properare*, si ad fabulæ contextum et progressus spectes. Adeo enim abest ut ad eventum festinet, et quidquid proposito non conducit resecet, ut contra propositi nonnunquam immemor videatur, et quæ fabulæ ad exitum perducendæ pæne aliena aut saltem parum utilia sunt, ea, si modo placeant, fusius tractet, et in eis tractandis plus æquo gaudeat immorari. Ita tamen immoratur ut nemo eum festinare et citius ingredi vellet. Fabula ad finem minus propere deducitur, nusquam tamen languet; immo, quamvis sæpius consistat, *properare* tamen videtur, adeo est comicis cavillationibus referta et lepidis salibus scatens!

Nec miror si hanc in sermonibus alacritatem et in spargendis jocis petulantiam, qua Plauti comœdia spectatores detinebat et expeditior videbatur, e Siculis poetis esse expressam nonnulli arbitrati sint. Nimios enim in omni re Siculos fuisse constat, modumque nec in lacrymis nec in risu tenuisse. Hinc eos vivide increpat Aristophanes, qui toties nobis eadem de causa increpandus videtur. Scimus quam male audierit Μεγάρικος γέλως non solum in nova comœdia, sed in vetere, quæ sæpius tamen in risu captando protervior visa est. Plautus quoque, Græcorum secutus exempla, ab irridendo Siculorum risu non omnino abstinuit, Saturio-

nemque induxit in *Persa* de logis suis, dum filiæ dotem pollicetur, talia jactantem :

Attici omnes ; nullum Siculum adceperis [1].

Sed quam vereor ne sibi nimium Saturio gloriatus sit! Quum enim, in Plautinis fabulis, aut ridicule querentes parasitos, aut servos scurriliter altercantes audio, non possum non suspicari poetam petulantius aliquid et rusticius adjecisse Diphili et Philemonis urbanitati, Atticosque logos sale Siculo refricuisse. Nec est ob eam causam vehementius nobis increpandus; hæc populo placebant, his omnium animos et aures detinebat; dum Terentius, Siculæ rusticitatis osor, Menandreæque urbanitatis fidelior interpres, qui noluisset in fabulis tali modo *properare*, languere videbatur, nec poterat plebem gladiatoribus et funambulis intentam ad se revocare.

Multa Plautum dehortabantur quominus Aristophanem imitaretur. Aristophanis enim fabulæ in nobilissimis civibus acriter et nominatim lacessendis plerumque versantur; quod apud Romanos satiræ aliquoties concessum est, comœdiæ autem semper negatum. Noverat Plautus triste Nævii fatum, nec solum noverat, sed etiam irrisit [2], ut qui se tale periculum nunquam esse aditurum profiteretur. Quod si unquam ætatis suæ vitia insectetur, adeo leviter ea attingit ut nescias an vere de tempore suo cogitet. Sic quum, in *Bacchidibus*, servum inducit his verbis exsultantem :

Sed, spectatores, vos nunc ne miremini
Quod non triumpho ; pervolgatum 'st, nil moror [3].

[1] *Pers.*, III, 1, 67. — [2] *Miles glor.*, II, 2, 57. — [3] *Bacchid.*, IV, 9, 149.

vix vides utrum poeta de triumpho tunc temporis facilius concesso, ut quidam voluere, queratur, an hæc verba sint mera servi lascivientis jactantia. Trapezitas, in *Curculione*, paucis verbis et quasi prætereundo aggreditur, quod fœnore exhauriant homines, et e legibus, quibus eos populus esse constrictos voluit, sese perite expediant[1]. Paulo fusius et acrius, in *Persa*, quadruplatores lacessit qui, quæstus causa, innoxiis injiciunt manus et aliena bona oppugnatum eunt. Statim autem, ne ad graviora grassari videatur, et supra quod comœdiæ licet exsurgere, semetipsum his verbis increpat :

> Sed aumne ego stultus, qui rem curo publicam,
> Ubi sunt magistratus quos curare oporteat[2] ?

Quantum ea absunt a procacibus Aristophanis et Atticorum poetarum conviciis, quibus non vitiis solum sed vitiosis infamiæ notam inussisse gaudent !

Similiores ambo poetas reperies si versus conferas quibus uterque suum in patriam amorem testatur. Ubique Aristophanes gloriam in Marathonicis campis comparatam et fusos fugatosque Persas animose memorat, nec potest de laudibus avorum conticescere. Non minus vivide Plautus Pœnorum cladibus exsultat, et nullum fere absolvit prologum quin pro patriæ gloria et salute civium pia vota concipiat. In prologo *Cistellariæ*, ut dè ceteris taceam, Deum aliquem inducit talia Romanis precantem :

> Bene valete, et vincite
> Virtute vestra, quod fecistis antidhac.
> Servate vestros socios, veteres et novos :

[1] *Curcul.*, IV, 2, 23. — [2] *Pers.*, I, 2, 23.

Augete auxilia vestris justis legibus,
Perdite perduelles, parite laudem et lauream,
Ut vobis victi Pœni pœnas sufferant [1].

Nihil liberius est, nihil ab omni lege remotius quam Aristophanis comœdia. Neminem fugit quam frequenter Aristophanes ab argumento suo digrediatur, nec solum in παραβάσει, sed in quavis fabulæ parte spectatores aperte provocet et nomine suo alloquatur. Hoc quamvis sit legibus comœdiæ alienissimum, in his veteribus poetis magis erat ferendum, quibus licebat quidquid mente excogitare libuisset in scenam producere. Nova autem comœdia a tali licentia abhorrebat; hic enim nulla tractabantur argumenta nisi ad similitudinem veri composita, ut hac vitæ imagine detinerentur spectantium animi, et viva esse existimarent quæcunque sub oculis exponerentur. Hic maxime necessarium erat ne se proderet poeta, neve spectatores, deludi se ratos, a grato errore amoveret. Plautus autem, dum argumenta tractaret e nova comœdia petita, comœdiæ veteris libertatem frequentius usurpavit. παραβάσεις admittere nullo modo poterat, sed nonnunquam personas inducit moribus suis prorsus absona loquentes, ita ut non vere personas loqui sed poetam agnoscas. Sic sæpe mulieres, hujus naturalis indulgentiæ immemores, qua vitia nostra aut non videmus aut nobis ipsi condonamus, muliebria vitia acrius insectantur; nec solum Eunomia in *Aulularia* et Pinacium in *Sticho*, bene moratæ fœminæ, quasque de moribus loqui deceat, sed nequissimæ et scelestissimæ etiam, quæ, quum vitia adoriuntur, semetipsas insimulant; inter quas adeo est Adelpha-

[1] *Cistel.*, I, 3, 49.

sium meretrix in meretrices probris suis intemperans, ut non immerito soror respondeat :

> Parce, amabo ; sat est istuc alios dicere nobis,
> Ne nosmet nostra etiam vitia loquamur [1].

Sæpe etiam Plautus, ad exemplum Aristophanis, spectatores his fabulæ ludis intentos et vera pæne se videre arbitrantes intempestivis jocis avertit, quibus omnia hæc ficta et falsa esse docet. Aurum, quo meretrices emuntur, nil nisi aurum comicum esse admonet, quo auro *boves in barbaria pingues fiunt* [2]. Vestes, quibus in peregrinum modum ornantur qui lenonem decipere volunt, abs chorago esse sumptas scimus ; nam choragus

> Dare debet ; præbenda ædiles locaverunt [3].

Nolunt actores qui Amphitruonis, aut Mercurii, aut Jovis partes agunt sibi aliquid regalis aut divinæ potentiæ arrogare : servi sunt, *humana nati matre, humano patre* [4], et qui vehementer malum formidant ; nam, peracta fabula, ornamenta ponent, et

> Qui deliquit, vapulabit ; qui non deliquit, bibet [5].

Sæpius Aristophanes, ne se in expositionis arduæ ambages implicet, sermone ad plebem converso, rem omnem enarrat :

> Βούλει τὸ πρᾶγμα τοῖς θεαταῖσιν φράσω [6] ;...
> Φέρε νυν κατείπω τοῖς θεταῖς τὸν λόγον [7].

[1] *Pœn.*, I, 2, 40. — [2] *Pœn.*, III, 2, 21. — [3] *Pers.*, I, 3, 80. — [4] *Amphit.*, prol. 28. — [5] *Cistell.*, Caterv. 4. — [6] Arist., *Equit.*, 36. — [7] Arist., *Vesp.*, 54.

Quæ ratio facilior et expeditior erat, quam ut a Plauto omitteretur :

> Mihi ad enarrandum hoc argumentum 'st comitas,
> Si ad auscultandum vostra erit benignitas [1]..
> Vobis narrabo potius meas miserias [2].

Omni ope et opera nititur Aristophanes ut festinet actio, et si paulum languere videatur, se ipsum admonet sibi esse properandum,

> Ὡς τὸ ταχύνειν χαρίτων μετέχει πλεῖστον παρὰ τοῖσι θεαταῖς [3].

Eadem Plautum causa ut omitteret alia, alia contraheret, impulit, et semet aperte increparet, si longior fabula fastidia moveret spectatorum :

> In pauca confer; sitiunt qui sedent [4].

Perducta tamen ad finem comœdia, Aristophanes, si quando comissantes inducit, spectatores etiam, tanta est animi benignitas, ad prandium invitat :

> Ἄγε δὴ, θεαταὶ, δεῦρο συσπλαγχνεύετε [5].

Paulo parcior est Plautus; verum se eos fuisse vocaturum profitetur nisi *vocatos ad cœnam foras crederet* [6], et se serius invitaturum promittit :

> Si vultis adplaudere
> Atque adprobare hunc gregem et fabulam, in crastinum vos vocabo [7].

[1] *Miles*, II, I, 1. — [2] *Mercat.*, I, I, 8. — [3] Arist., *Eccles.*, 582. — [4] *Pœnul.*, V, 4, 54. — [5] Arist., *Pax.*, 1115. — [6] *Rudens*, V, 3, 64. — [7] *Pseud.*, V, 2, 32.

Itaque, seu Plautus Aristophanem et Epicharmum imitandos sibi proposuerit, seu, quod probabilius est, quadam affinitate ingenii et temporum similitudine fuerit adductus ut nescius eos referret, agnoscendum est nonnulla esse in ejus fabulis, e nova comœdia translatis, quæ ad exemplar veteris comœdiæ composita esse videantur. Hoc prisci etiam auctores nonnunquam confessi aut suspicati sunt; hoc sibi volunt illa Divi Hieronymi verba, quæ, si ad verbum acciperentur, paulum a vero recederent: « Terentius Menandrum, Plautus et Cæcilius veteres comicos interpretati sunt[1]. »

II

Nihil magis e Græciæ poetis Plautum expressisse constat, quam fabularum suarum argumenta; eaque erant adeo e Græcis expressa, ut sæpe Romæ minus convenisse videantur. Agitur enim aut de puero a piratis rapto, quod frequenter in Græciæ insulis, rarius in urbibus Italiæ accidisse per se patet, aut de virgine in ludis publicis vitiata, quam licentiam bene composita civitas et severis cohibita legibus ægerrime passa esset. Eodem fere tempore quo Plautinæ fabulæ in lucem prodibant, quam crudeliter Bacchanalia senatus compresserit, neminem latet; quæ cum vivide impugnaret consul Posthumius, et quantum dissiderent ab hoc externo cultu Romana sacra profiteretur, Deos patrios, qui

[1] Hier., *Epist.*, 57, p. 309.

indigne tulissent numen suum *sceleribus et libidinibus contaminari*, nec, per ludorum occasionem, vim inferri ingenuis virginibus toleravissent, ideo cærimonias *ex occultis tenebris in lucem extractas* voluisse, revocavit[1].

Hæc igitur argumenta, quum Plautus tamen retinuerit, in ceteris vero fabularum partibus Romanos usus moresque studiosius retulerit, fateamur necesse est plebem, cujus studia pro lege habebantur, ad argumenta fabularum minus quam ad cetera respexisse. Quod unde evenerit, non ægre reperies. Diu Romanos saturæ suæ delectaverant, nec multi effluxerant anni ex quo Livius Andronicus hæc joca hactenus temere inspersa et nullo inter se juncta vinculo actione quadam cœperat connectere, aut, ut Titi Livii verbis utar, *fabulam serere argumento* docuerat[2]. Vigebat autem recens adhuc, nec ingrata juventuti, memoria saturarum, quæ toties populares plausus excusserant, et fieri potuit ut, vel in Liviana comœdia, joca et sales imprimis delectaverint, et præcipuas partes obtinuerint; argumentum autem, quod eis continendis concludendisque et in unam fabulam redigendis fuerat nuper inventum, minore cura dignum crederetur. Quod, quum minus esset inveteratum, nec per se, ut ita dicam, placeret, sed quia fundendis jocis et comicis scenis inducendis aliquam præberet materiam et occasionem, incuriosius fuisse a Romanis poetis habitum, nemini mirum videbitur. Qui enim, rati plebem Græca argumenta in Romana fabula facile passuram, nullum insumebant laborem ut ea ad Romanos mores inverterent, illi, si res postularet, aut impelleret lubido, eadem connivente plebis indul-

[1] Tit. Liv., XXXIX, 16. — [2] Tit. Liv., VII, 2.

gentia, non abstinuere quin liberius immutarent.

Nonnulla in transferendis Græcorum fabulis Plautum omisisse ex Terentio scimus, qui nos de hac, ut loquitur, *negligentia* sic in *Adelphorum* prologo monet:

> Synapothnescontes Diphili comœdia 'st,
> Eam Commorientes Plautus fecit fabulam.
> In Græca adolescens est qui lenoni eripit
> Meretricem, in prima fabula; eum Plautus locum
> Reliquit integrum.

Quæ vero Plautus integra reliquerat, sedulo Terentius, ne quid periret, abstulit, tenuiorem scilicet fabulam Plautinis reliquiis adaucturus. Hinc jam quantum uterque in imitandis Græcis differat suspicari licet. Dum alter nonnulla recidit, quæ Græcus poeta extenderat, et pauciores adhibet personas, alterius comœdia non potest in justum accrescere spatium, nisi et rebus et personis aliunde petitis referciatur, aut ex duobus Menandri fabulis constet. Uterque igitur Græca argumenta corrumpit et contaminat, sed hic quadam, ut ita dicam, jejunitate ingenii, ille abundantia et ubertate.

Nec minus hoc, quod jam ex Terentii testimonio patet, Plautinas fabulas attente inspicienti apparebit. *Casinam* ex eodem Diphilo translatam liberius etiam, aut, si placet, negligentius poeta tractaverat. Nec enim ei satis fuit Diphili fabulam una aut altera scena truncare; maximam fabulæ partem, qua ostendebatur Casina a parentibus agnita et Stalinonis filio desponsa, omnino prætermisit, personasque sustulit quæ sane apud Græcum poetam haud mediocres partes agebant. Casina ex domo, ubi pudice asservatur, non pedem extrahit; servum, per quem debuit Casina, in Diphili fabula,

agnosci, et qui, in Plautino prologo, ægrotare dicitur [1], ex lecto suo Plautus non excitat, nec in scenam inducit; Euthynicus, Stalinonis filius, qui Casinam deperit, semel nominatur et nusquam apparet : eum Stalino, ne noceret amori suo, in villam ablegaverat, Plautus, ne noceat fabulæ, a villa non reducit; cujus rei nos auctor prologi, nec inficete, certiores facit :

> Is, ne expectetis, hodie in hac comœdia
> In urbem non redibit; Plautus noluit :
> Pontem interrupit qui erat ei in itinere [2].

Poeta enim, dum jurgia servorum et dotatæ iras conjugis gaudet effingere, falsasque ostentat nuptias per quas Stalinoni et villico os probe illinitur, adeo lubenter immoratus est, ut reliquæ peragendæ fabulæ tempus defuerit. Tum properandum esse intelligit, ne, ut ipse prædicat, *fabulam faciat ex longa longiorem* [3]. Neque tamen ulla, tantis in angustiis, cura mentem sollicitat; nam quæ agi per personas non possunt, opportune admissus, quam paucissimis verbis, choragus absolvet :

> Spectatores, quod futurum 'st intus hic memorabimus.
> Hæc Casina hujus reperietur filia esse e proxumo,
> Eaque nubet Euthynico nostro herili filio. Etc.

Sane facilior hæc et opportunior ratio, qua fabulæ, si modum excedere reperirentur, breviores fierent, a Græcorum arte et peritia valde abhorrebat; sed Romanis non videtur displicuisse : ea enim est, in *Cistellaria* iterum, quanquam paulo cautius, adhibita. Re-

[1] *Cas. prol.*, 37. — [2] *Cas. prol.*, 64. — [3] *Casin.*, V, 4, 26.

perta cistella, qua quibus sit orta parentibus Silenium perspicitur, restat ut Demipho filiam agnoscat, amantique despondeat, et omnes, ut fit sub finem comœdiarum, in lætitiam effundantur. Sed nescio quo fato illas ἀναγνωρίσεις, quibus non parcius in comœdia quam in tragœdia Græci utebantur, deterius ceteris Plautus semper habuerit. Hi enim filii ab improbo quodam servo rapti, quorum rarior et obscurior, dum absunt, fit mentio, nescis, quum redeunt, unde sic improvisi exoriantur; nec magis videntur a parentibus suis quam a spectatore desiderari : adeo eos, postquam fuere tam procul remoti tamque diu absentes, patres et propinqui breviter alloquuntur et frigide excipiunt! In *Cistellaria* vero Plautus, ut se harum ἀναγνωρίσεων tædio eximeret, prius fabulam, quam esset omnino peracta, abrupit. Vix enim Demipho ad affinem suum ingressus est, quum inducitur choragus idem, impeditarum fabularum idoneus explanator, qui rem his verbis conficiat :

> Ne exspectetis, spectatores, dum illi huc ad vos exeant;
> Nemo exibit; omnes intus conficient negotium.

Quum inde appareat Plautum sæpe aliquid ex Græcis comœdiis detraxisse, nec tamen ejus fabulæ Terentianis breviores sint, necesse est quædam auxerit et de suo amplificaverit. Non paucæ apud eum scenæ occurrunt queis lubentius ceteris et impensius æquo poetam indulsisse crediderim; illæque eo facilius animadvertuntur et oculos quæritantium præstringunt, quo pejus cum reliquis hærent, nec satis idoneam habent causam cur supra modum augeantur. Fingere mihi nequeo Græcos poetas intra quos quæque scena fines

contineri deberet adeo ignorasse, ut in eis sæpissime cunctarentur et operam luderent, quæ fabulæ recte ad exitum promovendæ minus conducunt. Nova enim comœdia nulla alia magis eminuit virtute, quam quod doctissime fabularum argumenta ordinaret, et ad similitudinem veri disponeret, præcipuamque huic labori curam impendisse Menandrum scimus, qui, quum omnem digessisset seriem ordinemque rerum, et velut argumenti lineas descripsisset, perfecisse se fabulam dictitabat. Menandreæ hujus virtutis, ut ceterarum, Terentius aliquid videtur retulisse, cujus fabulæ tibi præsertim placebunt, si ad summam operis et argumenti rationem spectes. Dum enim fixis, ut ita dicam, in eventum oculis progreditur, neque citius festinat, neque negligentius immoratur, sed recta quadam via et passibus æquis incedit. Nec minus studet ut suum cuique personæ locum rependat. Quos enim potissimum et loquentes et agentes adhibet, et quibuscum versari oblectatur, Simones, Menedemos, Pamphilos et Clitiphones, eos primarias obtinere partes fabula postulabat, nec genere et conditione indigni erant qui præstarent ceteris et in hac luce effulgerent. Si quando servis quoque et parasitis utitur, qui severiorem exhilarent fabulam, nusquam tamen nec Davo Getæque heris suis officere, nec Phormioni honestos cives obscurare concedit. Neque mihi dubium videtur quin hanc poetæ peritiam prudentiamque respexerint qui, teste Horatio, Terentium extollebant quod ceteros comicos *arte* esset supergressus [1].

Quod si Terentius Menandrum fidelius interpretatus

[1] Horat., *Epist.*, II, 1, 59.

sit, ut inter omnes criticos convenit, et ex Menandrea imitatione has imprimis expresserit virtutes quibus eminere eum animadvertimus, quomodo credi potest Plautus Græcorum institisse vestigiis, quem toties videmus ea extendere quæ contrahi debuissent, ea vero auferre aut saltem facere arctiora quæ liberius poposcissent spatium, nec sine magno fabulæ damno prætermitti vel minui poterant. Si quem enim salibus feraciorem locum invenerit, et qui magis alliciendæ plebi conveniat, hunc tanquam ab aliis segregatum unice fovet, nec curat an illa quæ munificentius adjicit proposito apte conducant, et vere ad exitum fabulæ spectent. Immo eum hujus propositi, et exitus, et ceteræ pæne fabulæ immemorem diceres, adeo se huic scenæ, qua detinetur, totum applicuit! Qui vero is erat ut varias fabulæ partes modo studiosius, modo negligentius, minusque ex argumenti ratione, quam ex lubidine ingenii haberet, in personis etiam suis odia aut amicitias pæne exercuisse non miraberis. Quos enim potissimum dilexerit (pejores autem aut dignitate aut moribus plerumque dilexisse fatendum est) eos quanquam secundas vix partes agere decuerat, non dubitat tamen primum in locum promovere. Lenones, meretrices, parasitos gaudet effingere, et diu loquentes inducere, et, quoad fieri potest, in scena retinere, etiam quum honestioribus utilioribusque personis fandi copia esset concedenda. Sed nullos unquam magis amice et benevole Plautus habuit, quam servos. Illi, si vere res velis æstimare, in Plautinis fabulis dominantur; quippe qui ingenio, astutiis, et excogitandi arte, et peritia perficiendi ingenuos homines multum exsuperent. Nequicquam domini, herilem dignitatem scilicet tuituri, ne quid v

deantur servis suis concedere, virgas minitantur, et lora, et pistrinum, et crucem, et sexcenta illa supplicia, quæ nemo unquam jocosius Plauto descripsit; servi, adversus omnes minas contumaces, nil curant virgas, crucem irrident, et in mediis suppliciis tragice triumphant :

Si illi sunt virgæ ruri, at mihi tergum domi 'st [1].
. . . . . Scio crucem futuram mihi sepulchrum :
Ibi mei majores sunt siti, pater, avus, proavus, abavus [2].

Quos suppliciis heri nequeunt subigere, precibus sæpe juvenes, argentum sibi suppeditaturi, et amica, per fraudem patris, potituri aggrediuntur. Tum operæ pretium est cernere ut servus fastidiose incedat, illudatque imploranti, et ad humilem jacentemque vix respicere dignetur. Adolescens vero, quamvis ingenuus et libera ortus stirpe, postquam neque promissis pepercerit, neque blanditiis, ad turpiora etiam fœdioraque delabitur; nec, si nullo alio modo servilis hæc arrogantia potuerit mitigari, ut fit in *Asinaria*, recusabit quin, genibus provolutus, Libanum quemdam aut Leonidam, servorum nequissimos dorso suo vehat, et, tanquam quadrupes, calcare agitari, conviciisque etiam impeti patiatur :

Sic illi solent superbi subdomari [3] !

In servorum igitur dolis et machinationibus Plautinarum fabularum maxima pars versatur, et qui in ceteris plerumque citius festinat, quum eos loquentes agentesque adhibet, locum satis amplificare non potest. Hegioni, filium suum agnoscenti [4], Dinarcho virginem

[1] *Bacch.*, II, 3, 131. — [2] *Miles glor.*, II, 4, 19. — [3] *Asin.*, III, 3, 112. — [4] *Capt.*, V, 4.

quam vitiavit in matrimonium ducenti [1] vix aliquot versus, nec lubens, concesserat; Casinam parentes suos reperientem a scena removerat : quoties vero servi colloquuntur aut altercantur, adeo lubenter Plautus solet immorari, ut vix finem colloquiis jurgiisque statuat. Ut alia omittam, quæ mihi in *Sticho,* in *Rudente,* in *Persa* et in ceteris fere omnibus magna esset copia memorandi, in eadem *Asinaria,* de qua modo sermo fuit, Leonidam Plautus induxit trepidantem et conservorum quemdam quæritantem :

Ubi ego nunc Libanum requiram, aut familiarem filium
Uti ego illos lubentiores faciam, quam Lubentia 'st?...
Perii ego oppido, nisi Libanum invenio jam, ubi ubi est gentium [2].

Sed βραδέως σπεύδει Leonidas, qui non paucos versus in vanis loquelis ita consumit, ut ipse suæ sit conscius moræ et semet reprehendat :

Sed quid ego hic properans concesso pedibus, lingua largior?
Quin ego hanc jubeo tacere, quæ loquens lacerat diem [3]?

Ubi vero Libanum convenerit tam anxie quæsitum, quum festinationem res præsens postulet, et nihil magis utrique cordi sit quam ut atriensem Sauream suppilent, Argyrippoque commeatum argentarium suggerant, quo tam misere eget, non possunt tamen quin se solitis jurgiis consalutent :

Gymnasium flagri salveto. — Quid agis, custos carceris?
— O catenarum colone! — Virgarum o lascivia [4]!

Tunc ita festive orsi et populari plausu accensi pergunt, atriensis Saureæ, et Argyrippi, et fabulæ ipsius imme-

[1] *Trucul.*, IV, 3. — [2] *Asin.*, II, 2, 1 et 21. — [3] *Id.*, 24. — [4] *Id.*, 31.

mores, huicque rei unice intenti, scilicet ut se facetis onerent conviciis quibus plebem, servilium jurgiorum haud ignaram, longos in risus solvant.

Ea enim fuisse a summa cavea benigne excepta non dubitabunt, quibus veniet in mentem plebi majorem frequentioremque cum servis, quam cum patriciis fuisse familiaritatem. Quin ipsa plebs ex libertis, si Scipioni Æmiliano fidem habemus, potissimum conflata, a servis ducebat originem, et nonnunquam, ut ex Plauti ipsius exemplo compertum est, egestate coacta, ob quærendum victum, in servilem conditionem rursus devolvebatur. Cum igitur parvi penderet rectene an perperam deduceretur fabula, irasci non potuit si quando Plautus honestiores personas a scena removerat atque ablegaverat, liberiorem servis locum impertiturus. Eos enim jubebat potissimum exponi in theatro quibuscum, dum vitam ageret, frequentius conversabatur; dummodo peritæ excogitarentur servorum sycophantiæ,

Quibus herum tam frictum reddunt, quam frictum 'st cicer [1],

cetera omitti aut negligi facile patiebatur; in eis autem curam et novitatem præcipue expostulabat, neque tulisset vetera tritaque reponi, ut ex Plauti testimonio conjicimus sibi in *Pseudolo* gloriantis quod novum aliquid commentum in scenam attulerit [2]. Itaque, quanquam nos monent Menandri fragmenta multa, in Græcis fabulis, per servorum astutias fuisse absoluta, aliquid tamen Plautum adjecisse crediderim, et locupletem, quæ suppeditabatur, materiam, locupletiorem etiam effecisse. *Bacchides* ex Δὶς ἐξαπατῶντι fuisse versas scimus;

[1] *Bacchid.*, IV, 5, 7. — [2] *Pseud.*, I, 5, 156.

at Plauto non satis fuit senem suum δὶς ἐξαπατᾶσθαι; tres sunt quibus oppetitur doli; eosque Chrysalus, emuncti Nicobuli sorte cum Trojæ excidio collata, magnifice memorat :

> Ilio tria fuisse audivi fata, quæ illi forent exitio...
> Paria item tria eis tribus sunt fata nostro huic Ilio [1].

Ea igitur me impellunt ut versutiorem in Plautina fabula fuisse Chrysalum suspicer, novamque technam adstruxisse, qua senex, probe jam apud Menandrum suppilatus, ad cutem attonderetur.

Post tanta, tamque frequenter commissa cum heris certamina, totque relatas victorias, triumphare servos non dedecebat; nec minus est Plautus in triumpho effusus, quam fuit acer in prœlio. Lenone, in *Persa,* devicto spoliatoque, et rapta per fraudem meretrice, quum nihil videretur superesse agendum, nisi ut choragus spectatores supremum alloqueretur et dimitteret, Toxilus tamen et Sagaristio actum totum in celebranda victoria et convivio opipare instruendo consumunt. Quæ quamvis fusiora sint, si ad rectam comœdiæ rationem respicias, aliquam tamen excusationem habent quod, fabula ad exitum perducta, et omni parte absoluta, lusibus indulgere et conviviis vacare quodam modo licebat. In *Sticho* autem, quanquam vix medium attigit fabula spatium, eædem illæ intercedunt serviles epulæ, quæ omnem rerum ordinem et decursum confundant. Redeuntibus enim, post longam mœstamque uxorum suarum exspectationem, Epignomo Pamphilippoque, quum nihil magis decuisset, quam ut conjuges illæ ostenderentur cum ma-

[1] *Bacchid.*, IV, 9, 29.

ritis suis effuse lætantes, quas sine maritis tam pie queri audiveramus, maritos tamen Plautus et conjuges ab oculis spectatorum arcet, et domi jubet gaudere, servos scilicet comissantes et ridicule saltantes producturus. Qui, quum semel fuere coram plebe expositi, adeo tota scena potiuntur, ut eam sine intermissione

Donec cantor : vos plaudite, dicat

obtineant, nec unquam interrupta resarciri possit fabula, et e servorum nugis in dominorum facta remigrare.

Illi enim serviles triumphi, invita, ut ita dicam, fabula fusius producti, plebem oblectabant, non modo quod Romanus spectator, quum esset plerumque *potus et exlex*, convivantes et temulentos studio quodam prosequeretur, sed quod nusquam protervius poeta in risum verterit gravitatem hanc et dignitatem, virtutes vere patricias, quæ quamvis omni togatæ genti convenirent, melius tamen aptiusque cum hujus ordinis auctoritate consociabantur. Nec dubium est quin Romana plebs in plausus eruperit, quum videret nequissimos et pravissimos hominum se ad patriciam dignitatem evehentes; dumque pessime facta machinantur, gravia et fere senatoria verba proferentes audiret. Hi enim ad nullam se accingunt fraudem, quin rite et religiose conceptisque verbis auspicentur :

Quæ res bene vortat mihique et tibi et ventri meo [1].

Tum fraude ad felicem perducta exitum, pontificum preces imitati,

[1] *Pers.*, III, I. 1.

Jovi opulento, incluto, Ope gnato, supremo, valido, viripotenti [1]

gratias agunt; lenonemque superatum et expugnatam meretricem ita magnifice celebrant, ut consulis verba audire arbitreris, de fusis fugatisque Carthaginiensibus coram populo exsultantis :

Hostibus victis, civibus salvis, re placida, pacibus perfectis,
Duello exstincto, re bene gesta, integro exercitu et præsidiis,
Quum bene nos, Jupiter, juvisti, dique alii omnes cœlipotentes,
Ea vobis grates habeo, atque ago, quia probe sum ultus meum inimicum [2].

Etsi omnia hæc e Græcis non ducere originem certo criticorum testimonio vincere non possim, procul dubio tamen mihi videtur quin hic plura de suo Plautus invenerit, quam quæ de Menandro Diphiloque mutuatus est. Præterea quod, ut supra dixi, illa cum argumento minus congruant, et sic esse addita et per accessum venisse denuntient, nec non clariore nonnunquam luce perfusa, dum alia parcius tractata plus æquo obumbrantur, hanc Græcorum poetarum toties laudatam peritiam eximiæque artis famam male sustineant, inest, nisi fallor, in eis quædam vis virtusque, quæ translatis et aliunde desumptis plerumque defit, nec nisi carminibus infundi solet quæ ex libero poetæ ingenio, afflante Musa, sponte nata sunt. Nemo unquam magis quam Plautus hanc comicam virtutem sortitus est, quæ in Terentio tantum a Cæsare desiderabatur; eaque benignioris quodam naturæ munere adeo ei obtigerat, ut sæpe nescia temperari, sui impotens, uberiorisque ingenii copia et impetu quasi abrepta, sine lege vagaretur, et procul a veri similitudine se licentius effunderet, nedum intra Græcum

[1] *Pers.*, II, 3, 1. — [2] *Pers.*, V, 1, 1.

exemplar arcta imitatione posset contineri. Neque enim parasiti festinantes, neque ira perciti domini, neque servi in magno impliciti periculo, neque patres amisso filio mœrentes abstinent, quin jocos salesque, queis nullus unquam abundantior feraciorque exstitit poeta, audiant libenter, et libentius etiam expromant. Qui quidem joci, originem suam non mentiti, e Roma se esse profectos denuntiant, quod sæpissime Romanos referant usus, et e moribus Romanis ducantur. Nihil magis Romam exercuisse scimus quam bellum et judicia : nulla frequentius in Plautinis jocis occurrunt, quam quæ castra et forum redolent. Servi, parasiti, senes, adolescentes, lenonem, militemque et uxorem fraudaturi, *attollunt signa, legiones adducunt, intercludunt inimicis commeatum et sibi muniunt viam, metum fugamque injiciunt perduellibus, et præda onusti onerati-que redeunt* etc. Lenonibus vero, militibusque, et patribus, argento aut pellice spoliatis, una vox auditur, et vere Romana : *Ambula in jus; lege agito; licet antestari? i ad prætorem.* Parasiti, fame impetiti, aut se juvenes vitam negantes barbarica lege aggressuros minantur, diemque dicturos et multam irrogaturos [1], aut mores barbaros discentes, suimetipsius auctionem faciunt, atque ita auctionis leges observant, ut sub hasta et coram præcone rem agi credas [2]. Quin etiam ipsi amantes, quos verba e prætorum jure eruta minime decent, ita sæpe inter se colloquuntur, ut eos didicisse et explanasse decem tabulas non immerito suspiceris. Phœdromus, quo non alter est amantior, quum ad amicam primo diluculo pergit, in forum, ad judices descendere

[1] *Capt.* III, 1, 32. — [2] *Stich.*, I, 3, 65.

tibi videbitur, adeo lubenter verba ad forenses usus accommodata usurpat :

> Si statu' condictus cum hoste intercedit dies,
> Tamen est eundum, quo imperant, ingratiis [1].

Nec minus est juris perita ejus amica Planesium, quæ amantem salutat tanquam litiganti cuidam responderet :

> Ubi tu es, qui me convadatus Veneris vadimoniis?
> Ubi tu es, qui me libello venerio citavisti [2]?

Adde quod sales illi, Romanos usus toties tamque apte referentes, manifestius etiam originem suam produnt, quod quadam petulantia, aut, si malis, rusticitate vere Romana condiuntur. Gellio autem, veteres Romæ comicos cum Menandro componenti, et alternis lectionibus committenti, rusticiores illi sales oppido quam jacere et sordere, facetiisque et luminibus Græcarum fabularum obsolescere videbantur [3]. Sed quo a Menandrea elegantia remotiores sunt, eo apertius unde sint oriundi declarant, nec fuisse a Græco fonte hausti profitentur. *Sermonibus*, Varrone teste, *super ceteros Plautus palmam poscebat* [4]; in sermonibus, si vera velis judicare, præcipue sita est Plautina inventio. Nihil magis propria poetæ inscriptum est nota ; nusquam ejus ingenii signum altius impressum reperies. Argumenti rationem et personarum habitum (quanquam hic quoque Plautum multa immutavisse et corrupisse facile sit pervincere) Græci tamen, si rem summatim et cominus spectes, quodam modo suppeditabant : has vero sermonum face-

[1] *Curcul.*, I, 1, 5. — [2] *Curcul.*, I, 3, 5. — [3] A. Gell., *Noct. Att.*, II, 23. — [4] Non., v° *Poscere.*

tias, et in colloquiis jurgiisque jocositatem, et, ut loquebatur Cicero, latinæ urbanitatis non insulsus judex, *salsiores quam illi Atticorum et vere Romanos sales*[1], detrahere Plauto Græcia et sibi vindicare nullo modo potest.

III.

Non solebant veteres tragœdiarum aut comœdiarum auctores eos describere affectus, ea vitia insectari quæ raro obversantur, nec nisi in paucos homines cadunt. Huc enim solum est confugiendum senescentibus populis, quum fere evanuit *florida novitas* litterarum, neque plebs, quæ nimis est in scenicis ludis fastidiosa, detineri potest, nisi nova et inaudita satiatis apponantur. Sed in hac artium quasi pueritia, quum omnia ignota intactaque sunt, quærentes poetæ unde materiam dramatum suorum trahant ea potissimum eligunt quæ, quum sint vulgatissima, circumspectantium oculos magis sollicitant. Affectus igitur exprimere solent quibus humana mens natura ubique proclivior est, personasque delineare quæ nobis, dum in cœtu hominum et societate versamur, frequentius occurrunt. Ita factum est ut veterum poetarum opera minus fuerint unius loci et temporis finibus terminata, et, quamvis patriæ suæ aptiora videantur, nusquam tamen omnino extérna et aliena sint.

Inter varias Græcæ comœdiæ personas, una tantum

[1] Cic., *ad Famil.*, IX, 15.

a Romanis moribus omnino abhorrebat. Milites gloriosos ne Græcia quidem omni tempore noverat; cristati et clypeati duces, quos Aristophanes armorum splendore solum et vocis mugitu terrificos inducit, pro patria tamen sua pugnabant; illi autem quibus Menander et nova comœdia toties illusere, mercenarii erant, ex totius Græciæ profugis conflati, qui, re domi male gesta et adeso patrimonio, sarcinam, ut ait Stasimus in *Trinumo*, constringebant, et clypeum dorso accommodabant, se externorum alicui regum in saginam collocaturi [1]. Qui quum nullo furtorum genere abstinerent (si quidem eorum nomine postea fures appellati sunt) et potius *latrocinarentur* quam dimicarent, mox divites facti, Athenas, tunc omnibus vitæ deliciis florentes, conveniebant, ubi rapinis suis laute atque opipare fruerentur. Neque deerant meretrices et parasiti, quibus adjuvantibus, *male partum male dilaberetur*, quique stolidum quam citissime militem defraudarent, et defraudatum, ut fit, insuper irriderent.

Talibus non constabant militibus Romanæ legiones. Ne miremini igitur sæpius in his effingendis personis Plautum supra modum lascivisse, et veritati minus quam spectatorum cachinnis consuluisse. Græci poetæ, qui viva et vera referebant, idèo se forsan intra certos fines continuerant; Plautus autem, quum nulla subessent exemplaria ad quorum effigiem Stratophanes suos et Pyrgopolinices describeret, non timuit ne recessisse a vero et aliquid nimium admisisse insimularetur, nullumque jocositati suæ modum imposuit. Nihil enim aliud requirebat nisi ut, hac proposita externi et irridendi

[1] *Trinum.*, III, 2, 93.

militis imagine, in risum solveret hos vere milites qui sanguinem suum in bellis Punicis pro patria pugnantes effuderant.

Ceteras autem Menandrearum fabularum personas Roma quoque noverat. Nec solum de patribus avaris, servis fallacibus, libidinosis filiis loquor, qui ubique reperiuntur; dotatas uxores, has ἐπικλήρους Λαμίας [1] toties tamque ridicule a Menandro Græcisque comicis lacessitas, togatæ quoque fabulæ receperunt, quæ quum Romanum forum togatosque cives in scenam traducerent, non nisi Romanas personas admittere poterant. Audi enim Titinium maritos vellicantem qui

> Dotibus deleniti ultro etiam uxoribus
> Ancillantur [2],

nec poteris quin tibi in mentem revoces hunc in *Asinaria* Demænetem de conjugis impotentia tam misere querentem :

> Argentum adcepi, dote imperium vendidi [3]!

Immo Atellanæ, quo genere spectaculi nihil unquam magis Romanum exstitisse constat, non infrequentem dotatarum mentionem habent. Inde enim duo Pomponii Noviique fabulas nomen traxisse scimus; et, in ceterarum fragmentis, modo irridentur dotatæ tanquam *vetulæ, varicosæ, vafræ* [4]; modo, quod nusquam in Plautinis fabulis reperies, defenduntur; namque

> Qui habet uxorem sine dote, ei pannum positum in purpura est [5].

[1] Menand., *fragm.*, Πλοκ, 2. — [2] Titin., *Procilia*, 3. (Ap. Ribbeck, *Comic. latin. reliq.*) — [3] *Asin.*, I, 1, 74. — [4] Pompon., *Pannuceati*, I. — [5] Novius, *Tabellaria*, 1.

Parasiti quoque, quanquam Græcorum vitæ et moribus magis convenisse videntur, a Romanis conviviis non aberant. Nec solum Horatiana ætas, quæ se ad Græcos usus sedulius accommodavit, hos *scurras vagos* noverat, qui *certum non tenerent præsepe*[1], *imi lecti derisores, dum divitis verba iterant et nutum horrent*[2]; illi etiam, si antiquiora repetas, tibi occurrent, neque poteris togatarum Atellanaramque fragmenta evolvere, quin in parasitos incidas qui, quamvis injuria temporis mutili et truncati ad nos pervenerint et vix primis lineis adumbrati, omnino tamen ad effigiem Plautinorum parasitorum descripti tibi videbuntur. Recordaris quam triste, quamque invite, in *Captivis*, Ergasilus, *spe frustratus cœnatica*, se ad asperum Hegionis prandium refert; huic fuisse simillimum jure suspicaberis parasitum hunc quem Pomponius in Atellana quadam induxerat esurientem et cœnam quæritantem, quique

Si eum nemo vocat, revortit mœstus ad mænam miser[3].

Lenones autem et meretrices, post devictos Pœnos, subactumque fere orbem terrarum, Romam frequentes convenisse non dubitabis, si ad Romanorum mores respicias, et hos Plauti versus reminiscaris :

Nunc lenonum et scortorum plus est fere
Quam olim muscarum 'st, quum caletur maxume[4].

Harum omnium personarum habitus moresque quam fideliter, quam ad vivum retulerit Menander, non Græci

[1] Hor., *Epist.*, I, 15, 27. — [2] Hor., *Epist.*, I, 18, 10. — [3] Pomp., *Matalis*, 3. — [4] *Trucul.*, I, 1, 45.

solum hoc vulgatissimo epigrammate declarant, quo quæritur utrum vitam Menander, an Menandrum vita expresserit; sed latini quoque scriptores plurimis locis cumque maximis laudibus prædicavere. Hinc Ovidio, ut ceteros taceam, videtur immortalitatem sibi comparavisse :

> Dum fallax servus, durus pater, improba lena
> Vivent, dum meretrix blanda, Menandros erit [1].

Quum igitur illi servi, et patres, et lenones, et parasiti a Roma non abessent, eosque Menander ad effigiem veri doctissime expressisset, nihil prohibebat quominus, quamvis in Græcia nati educatique ex Atheniensium migrarent theatro, in Romana tamen scena agnoscerentur et placerent; neque mirum est Terentium a corrumpendis eis quantum potuerit abstinuisse; qui, quum nullas induxerit personas, nisi ad Græcorum disciplinas artemque studiose effictas, et secum congruentes, neque excedentes modum (nam nihil æque Terentius cavet quam *ut ne quid nimis* [2]) a Varrone laudatur quod ceteris *ethesi* præstiterit [3]. Hanc vero Græcorum comicorum *ethesim* tam docte tamque perite in Terentianis relatam fabulis quomodo Plautus habuerit, nunc nobis est inquirendum.

Animadvertimus primum pleramque fragmentorum partem quæ ex Menandro, Philemone et Diphilo supersunt, ad mores spectare, et ita esse præceptorum et documentorum refertam, ut philosophiæ ludum magis quam comicam scenam resipiant : in Plautinis autem

[1] Ovid. *Amor.*, I, 15, 17. — [2] Terent. *Andr.*, I, 1, 32. — [3] Non. V., *poscere.*

fabulis, si *Trinumum* excipias et quasdam *Rudentis* et *Captivorum* partes, perquam exiguum philosophia locum obtinet. *Trinumum* crediderim e Græco fuisse fidelius translatum, quod in hac Plautus fabula nescio quid tardius et impeditius præferat minusque libere et alacriter ingrediatur; tum præcipue quod philosophiæ minus quam in ceteris pepercerit. Immo dum philosophiam, repugnante ingenio, adhibet, ei (ut plerumque evenit aliquid invita natura agentibus) impensius sæpe nec tempestive indulsit. Ita enim et Philto, et Lysiteles, et Lesbonicus de ordinanda vita et fugiendo dedecore copiosius disserunt, ut velis diutinum hunc abrumpi sermonem, et in eo sis ut eadem exclames quibus semet, nec injuria, Pseudolus increpat : *Jam satis est philosophatum* [1]!

Ceteræ autem fabulæ non solum philosophia vacant, sed ne videmus quidem quonam modo eis philosophia commode admisceri potuerit. Sibi Plautus in *Captivis* gratulatur quod hinc *subagitationes*, et *amationes, lenones perjuros et meretrices malas, spurcidicos et immemorabiles versus* sedulo removerit, et propter hanc argumenti sanctitatem honestatemque personarum honestorum civium plausus sibi vindicat :

> Qui pudicitiæ esse vultis præmium, plausum date [2].

Sed majores et crebriores pudicitiæ Plautus intulerat injurias, quam ut illa veniam facilius condonaret. Qui enim hic pudicitiæ causa sibi plaudi æquum censet, sæpius, in ceteris fabulis, et æquius spectatores rogaverat ut *Veneris causa* plauderent [3]. Has scortorum

[1] *Pseudol.*, II, 3, 22. — [2] *Captiv.*, sub fin. — [3] *Trucul.*, V, 75.

amationes, quibus abstinuisse in *Captivis* gloriatur, non solum alias sæpissime ante oculos nostros posuit, sed conatus est etiam omni culpa eximere :

> Postremo, in magno populo, in multis hominibus,
> Re placida atque otiosa, victis hostibus,
> Amare oportet omnes [1].
>
> Nemo hinc prohibet nec vetat,
> Quin, quod palam 'st venale, si argentum 'st, emas [2].

Itaque, si modo velint juvenes plaudere (nec recusaturos arbitror; fabula enim plerumque in juvenilibus amoribus describendis excusandisque versatur) lege cavet poeta ut omnia omnibus liceant :

> Neu quisquam posthac prohibeto adulescentem filium
> Quin amet et scortum ducat [3].

Nec est erga libidinosos senes inclementior; nam si quando fuerint, dum fabula agitur, ludificati a servis et acrius ab uxore vexati, importuna hæc dimittitur cum fabula severitas; et multo humanior choragus non modo eos cuivis indulgere voluptati sinit, sed, si benigne actores excipiant, amantibus fausta omnia ominatur :

> Nunc vos æquom 'st manibus meritis meritam mercedem dare;
> Qui faxit, clam uxorem ducat scortum semper, quod volet [4].

Quæ cum audiverimus præcepta, e philosophorum libris nequaquam deprompta, in eaque comœdiæ parte posita, quæ plerumque solet quem ex comœdia fructum percepturi simus exponere, Plauti fabulas minime

[1] *Trucul.*, I, 1, 55. — [2] *Curcul.*, I, 1, 33. — [3] *Mercat.*, V, 4, 61. — [4] *Casin.*, sub fin.

idoneum fuisse docendæ sapientiæ ludum non ægre fatebimur.

Nec magis erant Plautinæ personæ informandæ et præcipiendæ virtuti accommodatæ. De moribus enim loqui non nisi bene moratos decet; quis aut ventri deditum sobrietatis laudes prædicantem, aut libidinosum senem meretricios amores impugnantem ferret? tot igitur præcepta ad mores spectantia, tot de rerum humanarum miseriis querelæ, quibus Menandri fragmenta referciuntur, opportunum in Græcis fabulis locum non habuissent, nisi inter fures et scelestos, quorum præclare gesta lubenter referre comœdia solet, aliqui probi affuissent a quibus scelesti castigarentur; inter temulentos et convivantes, mœsti quidam et graves viri, qui, vitam jam antea experti, quantis plerumque exerceatur miseriis convivantes et temulentos docerent. Illi autem in Plautina scena nusquam occurrunt; nec nisi eos qui sint ad omnia audenda furta parati ad omnesque effusi voluptates inducit, quos certe de virtute disserentes aut humana lugentes infortunia nemo toleravisset. Plautus igitur, dum imitatur Græcos, non modo præcepta sapientiæ, sed sapientiæ etiam præceptores sustulit; eumque probos gravesque viros, quos non parvas in Græcis fabulis partes obtinuisse conjeci, aut omnino removisse, aut saltem in deterius inflexisse necesse est.

Nullis philosophica edere præcepta magis convenisset, quam senibus patribusque. Nec dubitari potest, et ex Terentiana imitatione patet Chremetes Simonesque frequenter apud Menandrum filios suos aut amice commonuisse, aut acriter et ore tumido reprehendisse. Plautini autem patres, si quando filiis irascuntur (eos autem [illegible] ob ereptum argentum, quam ob inquinatos mores

irasci, nummisque suis magis quam læsæ virtuti consulere animadvertemus) mirum est quam cito cohibeant iram mitioresque sensus induant, et, quo fuerint primum asperiores et atrociores, eo in fœdiorem indulgentiam delabantur. Plerique vero ne illam quidem speciem iræ retinent, quæ, quamvis facilius conticescat, patriam tamen dignitatem quodam modo tuetur, filiorumque libidinibus aperte indulgere æquum censent. Sibi enim in mentem revocant quæ ipsi admisere, dum erant juvenes, nec mirantur si *patrissat* filius, si amat, si fores effringit, si amicam liberat; eadem nempe, dum concedebat ætas, fecere :

> Duxi, habui scortum, potavi, edi, donavi [1].

Immo illa ita lubenter revocant, ut præterita gaudia desiderare, et, si liceat, instauraturos esse suspiceris. Sic Demænetes filii sui amoribus, fraudata uxore, supparasitatur, et *viginti minas bonas mala opera partas* suggerit, sed ea tantum lege ut in partem amorum veniat, fœdamque hanc conditionem filio deferre pater non erubescit :

> Unum hunc diem perpetere, quoniam tibi potestatem dedi
> Cum hac annum ut esses, atque amanti argenti feci copiam [2].

Quantum huic turpissimæ Demænetis indulgentiæ repugnaverit exquisita Menandri Græcorumque comicorum urbanitas, quoniam ipsi nequeunt in testimonium adhiberi, Terentius saltem profitebitur. Ille enim benevolos, salva dignitate, patres effinxit, quique essent ad ignoscendum procliviores, neque tamen libidines filio-

[1] *Bacch.*, IV, 10, 6. — [2] *Asin.*, V, 1, 19.

rum suorum æmularentur, nec se in voluptates simul ingurgitarent. Leniorem Micione clementioremque patrem ægre reperires, qui filio amanti, obsonanti, potanti sumptum suggerit, et quos effregerit postes restituendos de suo curat, eoque tandem benignitatis recidit, ut, quintum et sexagesimum annum natus, vetulam et decrepitam, filio rogante, in matrimonium ducat. Nusquam vero clementiam hanc Terentius in turpe obsequium deformemque vitiorum societatem depressit, nec pater, qui faciliorem, si ad patris dignitatem spectas, concedit veniam, cujusvis tamen flagitii in partem venire patitur; filium nonnumquam amice increpat, et ab eo (quod rarius evenit increpanti) perquam benigne excipitur. Demænetis autem indulgentia non ex benignitate solum naturæ oritur, sed ex pravitate morum anteactæque vitæ conscientia et desiderio. Atque ita patriam dedecorat obteritque dignitatem, ut si velit peccantem natum, peccati consors, reprehendere, audientium risus excutiat, et ipse sit atrociter, nec immerito, ab uxore sua reprehensus et castigatus. Quem si cum Terentiano patre componas, facile, nisi me fallit opinio, suspicaberis quo Plautus modo lenitatem hanc morum, qua eminuisse dicuntur Menandri fabulæ, corruperit. Quum enim nihil difficilius sit *barbaro* poetæ, et doctrinis disciplinisque litterarum minus erudito quam tenere modum, neque a certis finibus evagari, intra quos elegantia urbanitasque consistunt, Plautoque, ut supra dixi, imprimis obtigisset comica hæc virtus quæ ferveret et æstuaret, neque facile cohiberetur; ille, si qua arrideret occasio, non poterat quin *qua data porta rueret*, et in ea, quæ leviter raptimque Græci attigerant, impensius incumberet, summoque, ut ita

dicam, vix penicillo delineata, clarioribus offunderet coloribus. Sic patres illi qui, in Græcis fabulis, libidinibus filiorum clementius indulgent, ita, apud Plautum, indulgent, ut libidinum etiam fiant participes. Sic benignitas ingenii in turpe voluptatum consortium demittitur, et morum lenitas quadam semper conditur inficiturque rusticitate.

Illa vero non in una aut altera fabula, sed ubique in Plautino theatro obversantur, et nullum fere, ex hoc libidinosorum patrum globo, eximere senem poteris, qui Græcam omnino exhibeat urbanitatem neque fœdius aliquid agrestiusque præferat. Nulli magis quam Demoni pepercit, qui, quum rem bene paratam comitate perdidisset[1], inducitur, in *Rudente*, rusticam hanc exercens vitam quam Menander, annuentibus, credo, ætatis hujusce Romanis, βίου διδάσκαλον ἐλευθέρου prædicabat[2]. Honestum hunc et antiquæ probitatis senem moralia edere præcepta non dedecebat, et de improbis lucris sedulo fugiendis ita disserere, ut Græcam comœdiam prorsus agnoscas :

> O Gripe, Gripe, in ætate hominum plurimæ
> Fiunt transennæ, ubi decipiuntur dolis[3]. Etc.

Hæc e Diphilo esse ad verbum expressa vix potest dubitari, et Demones ille, qui trucem servum alienique appetentem et a philosophia remotissimum tam sapienter reprehendit, vere Græcus mihi videtur, et, ut ipse ait :

> Athenis gnatus altusque educatusque Atticis[4].

Nec sapientiam verbis solum declarat, sed, data occa-

[1] *Rud.*, prol. 38. — [2] Men. Πλοκ, 7. — [3] *Rud.*, IV, 7, 10. — [4] *Rud.*, III, 4, 36.

sione, factis etiam significabit. Mulieres a lenone impetitas et omni destitutas auxilio strenue defendit, nec dubitat se in tricas impedire, ut ignotis opem ferat. Denique Atticus ille Socraticusque senex omnino esset ceteris in exemplum ponendus, nisi ad mulieres illas propius respiceret, quæ forte non invenustæ sunt, atque, exsuscitata Romana indole, ad deteriora subito devolveretur. Audimus enim sibi gratulantem quod clientas invenerit :

> Atque ambas forma scitula atque ætatula,

et, ne ignoremus quid sibi illa velint, adjicit :

> Sed uxor scelesta me omnibus servat modis,
> Ne qui significem quidpiam mulierculis[1].

Manifestum hic, nisi fallor, deprehensumque Plautum habemus, quum se ex Menandri comicorumque philosophia protinus expedit, Græcamque sapientiam Romana rusticitate refricat.

Juvenum autem amores Plautus mira quadam gratia nec solitis leporibus gaudet circumfundere. Nil jucundius unquam, nil tenerius excogitavit, nil ubi Græcum ingenium magis contineri et spirare videatur. Audi enim quam lepide, quam poetice amantes illi, amore amentes, ad januam puellæ nimium morantis querantur :

> Pessuli, heus, pessuli, vos saluto lubens,
> Vos amo, vos volo, vos peto atque obsecro...
> Subsilite, obsecro, et mittite istanc foras,
> Quæ mihi misero amanti ebibit sanguinem[2].

[1] *Rud.*, IV, 1, 3. — [2] *Curcul.*, I. 2, 60.

Utque illa apparuit, quam jucunde et luculenter salutant :

Ver vide!
Ut tota floret! ut olet! ut nitide nitet[1]!

Nec possunt lætitiæ temperare et sui compotes fieri :

Sibi sua habeant regna reges, sibi divitias divites :
Sibi honores, sibi virtutes, sibi pugnas, sibi prælia :
Dum mi abstineant invidere, sibi quisque habeant quod suum 'st[2].

Si vero liceat colloqui, ita suaves, ita teneræ audiuntur reddunturque voces, ut Ælio Stiloni minime adverseris *Musas, si latine loqui vellent, Plautino sermone locuturas fuisse* prædicanti[3] :

O melle dulci dulcior mihi tu es. — Certe enim tu vita es
Mihi : complectere. — Facio lubens. — Utinam sic eeferamur[4]!

Illa parasitorum salibus mutuisque lenonum servorumque conviciis adeo aliena sunt, ut vix credas ab eodem poeta fuisse inventa, et in iisdem posita fabulis, nisi cogites Aristophanem quoque fœda immundaque cum lepidis et urbanis non semel immiscuisse, et quem Plutarchus, propter obscœnitatem, ab honestorum cœtu ablegandum censebat, fuisse, ob lepores et venustatem, egregie a Platone laudatum reminiscaris, qui ejus ingenium χαρίτων τέμενος nuncupavit[5].

Illi vero juvenes tam vivide ad amorem effusi aliquam tamen, apud Menandrum, parentum reverentiam retinuere; qui postquam protervius aliquid admisissent, nil nisi patrem reformidare, neque posse se irati ora

[1] *Trucul.*, II, 4, 2. — [2] *Curcul.*, I, 3, 22. — [3] Quint., X. — [4] *Asin.*, III, 3, 24. — [5] *Schol. Arist.*, Did. XXIX.

senis sustinere aiebant[1]. Ad eorum effigiem Pamphilum, in *Andria*, mirum in modum patris reverentem vixque ei audentem adversari Terentius descripsit[2]. Immo Ctesipho, in *Adelphis*, quamvis asperior sit et subrusticus, neque ad humanitatem Pamphili accedat, patrem, vel in ipso libidinis impetu, quam clementer, quam pie, ut ita dicam, tangit! Cui cum nihil aliud optaverit, nisi ut propter longioris itineris laborem

Triduo hoc perpetuo prorsum e lecto nequeat surgere,

veritus tamen ne impia conceperit vota, his se verbis sedulo corrigit: *quod cum salute ejus fiat*[3]! Hujus indolis filios apud Plautum nullos invenies. Omnes aperte ludificant patrem, servorumque et parasitorum ope instructi, nulla remordente facti conscientia, spoliant, et si paulum obnitatur pater, nec se spoliari et ludificari benignius ferat, pejora etiam ei et sæviora imprecabuntur. Nec qui forte fuerunt patriæ auctoritatis observantiores (quod in uno vix aut altero accidit) pietatem hanc insolitam diu retinent; nam et Charinus, in *Mercatore*, cui primum *scelus videtur patri proloqui mendacium*[4], mox quod servus *pulchre os subleverit patri* lætatur[5]; et Calidorus qui *pietate prohibetur ne quid patri surripiat*[6], idem est qui amicam liberaturus, Pseudolum rogat non modo ut patrem defraudet, sed, si poterit,

[1] Men., *Fragm. inc.*, 59:

Αἰσχύνομαι τὸν πατέρα, Κλειτοφῶν, μόνον·
Ἀντιβλέπειν ἐκεῖνον οὐ δυνήσομαι, etc.

[2] Ter., *Andr.*, I, 5, 27. — [3] Ter., *Adelph.*, IV, 1, 3. — [4] *Mercat.*, I, 2, 96. — [5] *Merc.*, III, 4, 19. — [6] *Pseud.*, I, 3, 57.

Pietatis causa vel etiam matrem quoque [1].

Hæc secum male congrua Horatium impulere ut Plautinarum fabularum personas reprehenderet, quod ad imum non serventur, quales ab incepto processerint :

> Adspice, Plautus
> Quo pacto partes tutetur amantis ephebi,
> Ut patris attenti, lenonis ut insidiosi [2].

Qui sibi sunt minus concordes quod, quum eos Plautus effingeret, duo diversissima videtur requisisse, et quasi in partes contrarias fuisse distractus. Modo enim Græca sibi referenda proposuit, modo eum circumstantia detinuere, totumque se exprimendis moribus applicuit qui sub oculis obversabantur. Sic evenit ut magis patrem reverentur Calidorus Charinusque, dum poeta Græcorum vestigiis insistebat ; quum est ad Romanos mores delapsus, illi quoque patris reverentiam simul exuere. Sic filium Nicobulus castigat, philosophiam Demones exercet, quoad Plautus fixos in Diphilum Menandrumque tenet oculos ; frangitur Nicobuli severitas, hebetatur Demonis sapientia, quum ad ætatem suam poeta respicit, Romanosque senes intuetur quibus erat solitum, si quicquam occasionis esset, *facere animo suo volup* [3], aut, *apud lenonem, rivales filiis fieri* [4]. Illi igitur quum nati in Græcia, diutius autem inter Romanos versati, aut patrias omnino dediscere virtutes, aut rusticiorum morum, dum Romam incolunt, contagia procul a se arcere nequeant, modo sunt ad Græcam urbanitatem quadam originis suæ memoria erecti, modo omni quoti-

[1] *Pseud.*, I, 1, 120. — [2] Hor., *Epist.*, II, 1, 170. — [3] *Asin.*, sub fin. — [4] *Bacchid.*, sub fin.

dianæ vitæ consuetudine ad rusticitatem feritatemque Romanam procliviores.

Nullas e Græca comœdia personas Romam migrare magis decebat quam servos, parasitos, lenonesque, qui sunt ad rusticos improbosque mores natura magis propensi. Nec potuere tamen inter Romanos versari quin rusticiores fierent. Plautum, qui bonos honestosque vitio quodam inquinare gaudebat, non modo improbos benigne excepisse, eisque ampliorem locum esse largitum, sed pejores etiam, si liceret, effecisse suspicor. Parasitos Terentianæ quoque fabulæ habent, sed quanto politiores urbanioresque ! assentatores ex parasitis factos, et provectiorem statum civitatis testantes, in qua vitia quoque elegantia quadam circumfunduntur. Quo suam artem modo exerceant, Gnatho nos docet :

Olim isti fuit generi quæstus apud sæclum prius ;
Hoc novum 'st aucupium : ego adeo hanc primus inveni viam.
Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,
Nec sunt ; hos consector : hisce ego non paro me ut rideant,
Sed eis ultro adrideo, et eorum ingenia admiror simul [1].

Illi sæcli prioris parasiti, divitibus se parantes ut rideant, Plautini parasiti sunt ; miseri homines, si eos cum Gnathone componas ; qui vitam omni periculorum genere consitam ducunt, nec possunt ad epulas divitum adrepere et *quasi mures edere alienum cibum* [2], nisi plagas et colaphos æquo animo ferant, *frangique aulas in caput* [3] patiantur. Horum ridicule dicta, quibus temulentorum vultus tranquillabant, salsiora plerumque quam lepidiora et urbaniora fuisse non negaverim ; salsiora autem, in parasitorum jocis, non veteres solum rudes-

[1] Ter., *Eunuch.*, II, 2, 15. — [2] *Capt.*, I, 1, 9. — [3] *Capt.*, I, 1, 21.

que Romanos, sed Augusti etiam coæquales delectavere, adeo ad Romana ingenia accommodabantur ! Horatium enim Mæcenatem Virgiliumque, quibus lepidiores nunquam exstitere convivæ, in Cocceii villa prorsus jucundam cœnam deduxisse scimus, dum altercantes audiunt scurras, quorum joci ne ad sales quidem Plautinorum parasitorum accedunt [1] ; namque Ergasilo, si ad hanc parasiticam pugnam fuisset adhibitus, ut Sarmenti Messique victor evaderet, hæc ridicule dicta de dictis melioribus,

Quibus solebat menstruales epulas ante adipiscier [2],

expromere non opus esset.

Lenonem Diphilus in quadam fabula sic de meretricibus querentem induxerat :

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν τέχνιον ἐξωλέστερον
Τοῦ πορνοβοσκῶν.
Κατὰ τὴν ὁδὸν πωλεῖν περιπατῶν βούλομαι
Ῥόδα, ῥαφανῖδας, θερμοκυάμους, στέμφυλα,
Ἄλλως, ἅπαντα μᾶλλον ἢ ταύτας τρέφειν [3].

Hæc lepida sane et comica Plautinorum lenonum, Lyci, Dordali, præsertimque Ballionis jurgia in memoriam nobis revocant, neque tamen eamdem vim nec parem habent petulantiam. Multo enim acrius animosiusque Ballio aut servos increpat, aut meretricibus suis atrocissima quæque minatur ; dein, postquam amantis preces in ludibrium vertit, irati convicia servi non patitur solum, sed sibi tanquam laudes vindicat :

[1] Hor., *Sat.* I, 5, 70. — [2] *Capt.*, III, 1, 23. — [3] *Poet. com. græc frag.*, Didot, 647.

Impudice. — Ita est. — Sceleste. — Dicis vera. — Verbero. — Quippine? — Bustirape. — Certe. — Furcifer. — Factum optume [1]. Etc.

Procaciora hæc et acriori sale inspersa, quæ nescio an Menandri temperantiæ non satis respondeant, Aristophani, petulantiori poetæ, potius refenda Lipsius censebat [2], et ex hoc *Nubium* loco fuisse expressa arbitrabatur :

Καταπύγων εἴ κἀναίσχυντος.
— Ῥόδα μ' εἴρηκας. — Καὶ βωμολόχος.
— Κρίνεσι στεφανοῖς. — Καὶ πατραλοίας.
— Χρυσῷ πάττων μ' οὐ γιγνώσκεις [3]. Etc.

Hunc igitur Ballionem, mira subnixum impudentia, tot coopertum flagitiis et flagitiis gloriantem, lenonibusque Terentianis alienissimum qui de se humiliora sentiunt et loquuntur [4], sive ad veteris exemplar comœdiæ, ut voluit Lipsius, sive, quod verisimilius est, ad Romanorum morum effigiem fingeretur, petulantius et protervius aliquid quum in latina scena, plaudente populo, prodiit, præ se tulisse crediderim. Nec, nisi in hac Plautus fabula sibi indulsisset liberius, et plura de suo exprompsisset ingenio, Pseudolo magis quam ceteris esset gavisus [5] ; neque plebs ad ætatem usque Tullianam, Roscium, Ballionis partes agentem, tantis excepisset plausibus [6], nisi Romanos mores fideliter relatos egregieque expressos agnovisset.

Cur frequentius meretrices in fabulis suis Plautus adhibuerit, Cleostrata nos docet, Stalinonis non mitis uxor, dum acerbe, ut assolet, virum castigat :

[1] *Pseud.*, I, 3, 126. — [2] Just. Lips., *Epistol. quæst.*, III, 17. — [3] Arist., *Nub.*, 909. — [4] Ter., *Adelph.*, II, 2, 11. — [5] Cic., *De Senect.*, 14. — [6] Cic., *pro Rosc. com.*, 7.

Non matronarum partûm 'st, sed meretricium,
Viris alienis, mi vir, subblandirier [1].

Blandientes autem viris alienis mulieres, et amori faciles comœdia efflagitat. Matronis tamen ingenuisque mulieribus non omnino abstinuit poeta, easque, si Demænetem et Nicobulum cogites, mitius plerumque honestiusque viris habuit. Non vero contendere ausim omnino eis Plautum pepercisse; juvat effingere dote sua superbas, pronas ad irascendum, *oblalatrices*, odiosas viris, et ita in omnes sumptus effusas ut sæpe *fundis exornatæ per vias incedant* [2]. Pestis sunt, et *molestia quædam*, ut Metelli censoris verbis utar, *cum qua satis commode vivi non potest* [3]; sed pudicitia earum in tuto est et omni vacat suspicione. Nec enim, si quid admisissent quod minus probum pudicumque fuisset, tacuissent mariti, quibus nihil tam cordi est, quam uxores suas omnibus probris onerare. Immo, in hisce fabulis, ubi patrum auctoritas, pietas filiorum, sanctissima et verecundissima quæque dedecore quodam inquinantur, nihil vere intactum intemeratumque manet nisi matronarum pudicitia. Omnia omnibus conceduntur,

Dum ne per fundum septum faciant semitam [4].

Mulctantur adulteri omnium consensu, ne illo quidem (quod mirabilius est) repugnante, de quo supplicium sumitur; nam et semetipsos jure dedisse pœnas fatentur, et *si sic aliis mœchis fieret minus mœchorum fore* prædicant [5].

Nec satis Plauto fuit omnem a matronis culpam re-

[1] *Casin.*, III, 3, 22. — [2] *Epid.*, II, 2, 42. — [3] A. Gell., I, 6. — [4] *Curcul.*, I, 1, 36. — [5] *Miles glor.*, V, 42.

movisse, quasdam optima etiam præbentes exempla effinxit. Ita enim strenue conjugis causam agens cum patre Pinacium dimicat[1], ita animose et viriliter filia Saturionis se vindicat a dedecore[2], ut Romanas induci loquentes arbitreris. Sed e Græcis mulieribus, nulla apertius quam Alcumena Romanos mores induit. Diceres Plautum quum vellet probam mulierem et nobili de gente ortam ab hoc globo meretricum segregari quæ sæpius in ceteris fabulis occurrunt, et vereretur ne labe quadam pollueret hanc, ut magnifice loquebatur Afranius, *nominis matronarum sanctitudinem*[3], ad patricias mulieres respexisse, quarum mores Amphitruonis uxor fidelius referret. Alcumena enim, si penitus inspicias, Romana est matrona, pudica, morigera viro, rem communem servans, quæ sibi dotem ducit, non quæ dos dicitur, sed Deorum metum, parentum amorem, et cognatorum concordiam[4]. Conjugem efflictim, sed ut decet Romanam, diligit : abesse enim eum forti animo patitur, dum modo victis hostibus, laude parta domum redeat et *victor belli clueat*, namque, ut loquitur,

Virtus præmium 'st optumum.....
Virtus omnia in se habet; omnia adsunt bona quem penes est virtus[5].

Sed nusquam Romanam indolem magis refert, quam quum est stupri et dedecoris a marito insimulata. Non luget, neque lamentatur, ut assolet mulier quæ in suspicionem venit, sed contendit et litigat. De se quid sentiat, aperte profatur, pudicitiæque suæ conscia, Junonisque *matris familias* freta auxilio[6], audet confidenter pro se et proterve loqui :

[1] *Stichus*, I, 2. — [2] *Pers.*, III, 1. — [3] Afran., *Suspecta*, 9. — [4] *Amphit.*, II, 2, 209. — [5] *Amphit.*, II, 2, 16. — [6] *Amphit.*, II, 2, 201.

Istuc facinus, quod tu insimulas, nostro generi non decet,
Tu si me impudicitiæ captas, non potes capere [1].

et superba, dedecorisque impatiens, ad divortium confugit :

Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas [2].

Illa Romanis moribus aptiora sunt, quam ut esse omnino e Græcis desumpta arbitrer, nec a Romano poeta ad Romanæ indolis imaginem paulum fuisse detorta conjiciam. Novam Græcorum comœdiam ex philosophia traxisse originem scimus. Philosophia autem si quando ἤθη καὶ πάθη describit, non in eis hæret quæ genti cuidam propria sunt neque ex ejus finibus evagantur. Has dedignata inter varios populos varietates, quæ naturæ officiunt, nec magis ad hominem pertinent, quam ad corporis formam quibus induimur vestes, altius ad mentem ipsam penetrat, et illa deprehendere solet, et in lucem edere, quæ immota æternaque sunt, nec montium fluminumve terminis, nec annorum serie immutantur. Menandrum, qui ad comicam scenam e Theophrasti schola defecerat, diuque Aristotelicos versaverat libros, quum docendas fabulas est aggressus, aliquam pristinorum studiorum memoriam retinuisse, personasque suas ad hæc Aristotelis ἤθη composuisse, quis mirabitur? Sic comœdia, philosophiam ducem auspicemque in fingendis personarum moribus secuta, non se Græcæ solum indoli, sed, quod multo amplius et excelsius est, humanæ potissimum naturæ accommodavit, lubentiusque retulit quæ ad universos homines generatim spectarent.

[1] *Amphit.*, II, 2, 188. — [2] *Amphit.*, III, 2, 47.

Neque ea Atheniensibus displicuere longo philosophiæ usu ad sublimiora erectis, et qui se ad theatra sæpius ex Lycei umbraculis conferrent. Plautum vero ejusque coæquales nulla informaverat philosophia, nec se ad ea pernoscenda, quæ apud omnes homines ubique reperiuntur, quibusque humana constat natura, erigere didicerant. Circa ætatem suam occupati implicitique, nulla nisi vicinorum ridebant vitia, nec perjuros et mendaces, lurcones et libidinosos agnovissent, nisi ex Cluacinæ sacro, aut Basilica, aut foro piscario fideliter in scenam traducerentur [1]. Quibus quum inserviret plebis voluntatibus (necnon et suæ ipsius naturæ, quæ cum plebis indole mire congruebat) omnes e Græca comœdia personas ad temporis sui mores depressit, fecitque ut Romana quadam nota signarentur qui nullam antea fere patriam præ se tulerant. Sic unanimes sibi plausus conciliavit, sic studia populi in se convertit, qui nulla benignius excipere solebat, quam quæ *effictos mores suos in alienis personis, expressamque imaginem suæ vitæ quotidianæ* referrent [2].

IV.

Sed quæ plebem imperitam ita oblectaverant, ea mox eruditos offendere, et sapientibus urbanisque parum grata videri cœperunt. Illi enim quotidie se litteris Græcis sedulius applicabant, nec poterant cum Menandro

[1] *Curcul.*, IV, 1, 10 et sq. — [2] Cic., *pro Rosc. Amer.*, 16.

familiariter versari quin major in dies mentem subiret admiratio. Quam perite Græca deducerentur argumenta, quam inter se subtiliter cohærerent scenæ, quam feliciter in quavis operis parte retineretur modus nequibant satis animadvertere ; quæ cum a Plautina imitatione sæpius abesse intelligerent, Menandrum indocte versum, spoliatumque hac rerum verborumque venustate, et ad scurriles jocos plus æquo inflexum agnoscere recusabant, aliumque usurpabant imitandi morem, quo Græca comœdia integra et intacta magis, cumque suis tandem virtutibus, in lucem prodiret.

Illi vero elegantes eruditique poetæ unam rem neglexerant, cui maximam Plautus impenderat operam : scilicet ut spectatoribus suis consulerent. Nullam fere reperies Plauti fabulam ubi non aliqua circumstantis plebis fiat mentio, seu de spectatoribus poeta, seu cum spectatoribus loquatur. Nec, si *Captivos* suos, honestam et bene moratam fabulam, eis præcipue commendaverit qui possunt *ope sua censerier* [1], scilicet divitibus, patriciis, honestioribus viris, quibus probi mores magis cordi erant, ideo existimandus est ceteræ plebis curam omisisse. Immo eum plerique critici summam caveam sæpius quam orchestram respexisse merito contenderunt. Quibus enim, nisi pullatæ et tunicatæ plebi, fricti ciceris nucisque emptoribus consulit, quum tantum insumit laborem ne quid sit ab omnibus minus intellectum ? In prologis, plebi fabulam omnem dabat prænoscendam ; neque ea parce et modice prælibanda apponebatur, nec *modio*, ut aiebat, *aut trimodio*, *verum horreo ipso demensa :*

[1] *Capt.*, prol. 15.

Tantum ad narrandum argumentum adest benignitas [1]!

Re fusius narrata antequam agatur, quam sedulo, dum agitur, cavet ne quid rudes aut minus attentos spectatores prætereat : *jam hoc tenetis* [2]? *jamne hoc scitis quid siet* [3]? Sed ante omnia providet ne res sæpius narratæ vanisve implicitæ ambagibus aut audientium fastidia moveant, aut fabulas faciant ex longis longiores, diutiusque esurientem aut sitientem populum morentur. Illa enim comœdia, si penitus quid sibi velit inquiras, oblectandæ plebis unice est studiosa ; id ipsumque Plautus non semel nec dubie professus est :

Horum causa hæc agitur spectatorum fabula [4].

Plebs vero illa, litterarum nescia et parum curiosa elegantiæ, quæ Plauti sales non modo patientius et stultius tolerabat, sed eum plausibus adhortabatur, ut se in majorem efferret protervitatem, intra paucos annos nequiverat veterem et diu concretam exuere feritatem, et ad hanc ingenii subtilitatem exquisitamque doctrinam accedere, ut secretos Græcorum lepores delicatasque venustates prorsus perciperet. Studiosa hæc in perpoliendis scriptis cura, et operum argutiæ minus eam oblectabant, quam Plauti libertas et petulantia ; novæ, quæ edebantur, comœdiæ, e Græcis fidelius expressæ, magisque ad artem præceptaque compositæ, sed minus aptæ ad ridendum, *nequiores quam numi novi* reperiebantur [5]. Veteres fabulas, agrestia opera, sed ridicula et

[1] *Menech.*, prol. 16. — [2] *Capt.*, prol. 10; *Pœnul.*, prol. 116. — [3] *Amphit.*, I, 2, 23. — [4] *Pœnul.*, III, 1, 48; *Pseud.*, II, 4, 30. — [5] *Casin.*, prol. 10.

sale perfusa, desiderabat, quibus tanquam vino vetere recrearetur. Hæc fuit causa cur non adeo multis post Plauti mortem annis, ædiles, quum populi rumorem intellexissent, quo studiose Plautinas fabulas expeteret [1], spectandam rursus populo *Casinam* dederint, qua nulla protervior erat fabula, et ad obscœna effusior, et a Græco argumento liberius detorta. Quum primum acta est, valde placuerat [2]; nec dubitari potest eam multo magis placuisse, quum in scenam rediit, siquidem quæ jucunda grataque sunt, quum eis caruimus, gratiora et jucundiora etiam videri solent.

Novi autem scriptores, qui minus populo consulebant, pejus et inclementius a populo excipiebantur. Cæcilium, poetam sane non inter elegantissimos annumerandum, et qui Gellio, cum Menandro eum componenti, mirum in modum stupere et frigere videbatur [3], fuisse tamen Plauto eruditiorem arbitraberis, quod Menandrum sibi imitandum frequentius quam ceteros proposuerit; et nescio an ex Ciceronis testimonio, *Synephebos* Cæcilii juxta Terentii *Andriam* laudantis [4], conjicere liceat eum exemplaribus suis fidelius hæsisse. Eam fuisse causam existimandum est cur Cæcilii fabulæ, quum primum prodierunt, a scena tantum non fuerint exactæ [5]. Quamvis Terentius id sibi propositum dixerit:

Populo ut placerent quas scripsisset fabulas [6],

ille tamen, quum esset urbanius elegantiusque ingenium sortitus, *bonis* placere [7] eruditisque potius, quam con-

[1] *Casin.*, prol. 12. — [2] *Casin.*, prol. 17. — [3] A. Gell., II, 23. — [4] Cic., *De Opt. gen.*, 6. — [5] Terent., *Hecyra*, prol. 7. — [6] Ter., *Andr.*, prol. 3. — [7] Terent., *Eunuch.*, prol. 1 :

Si quisquam est, qui placere se studeant bonis, etc.

fusæ multitudini studuit. Non enim ei cordi erat, tanquam Plauto, ut Romanos usus aperte in Græcis referret fabulis; ea solum, si Donato fidem habemus, immutabat, quæ alienis moribus Romanos spectatores offendissent [1]; Græciam, ut ita dicam, ubi se prodit manifestius, delet; Romam vero nusquam inducit; dumque ei satis est ut populum non offendat, ut oblectet, non consulit. Immo, quum esset aliunde insitus, neque inter plebeios adolevisset, quodnam fuerit plebis hujus ingenium, et per quæ posset detineri, omnino videtur ignorasse. Opus enim suum, antequam agatur, populo commendaturus, prohibiturusque ne, quod evenit sæpius, fabula vix inchoata, ad funambulos et gladiatores concurreretur, nihil nisi sermonis elegantiam laudat :

> In hoc est pura oratio [2].

Quanto gratiora et acceptiora Romanis præ se Plautus ferebat et pollicebatur, si quando vellet, in prologis, benevolam sibi, et, quod erat difficilius, silentem plebem facere :

> Inest lepos ludusque in hac comœdia,
> Ridicula res est [3].

Hi vero lepores, rusticiores sane et proterviores, ut qui ad rusticæ plebis ingenium accommodarentur, doctis eruditisque et Plautinas sordes cum Menandri urbanitate componentibus mire stomachum movebant. Non tamen, nisi studiis ejus quodam modo indulgeretur, fera gens in theatris detineri, et litterarum rudis po-

[1] *Schol. in Phor.*, I, 2, 43. — [2] Ter., *Heautontim.*, prol. 46. — [3] *Asin.*, prol. 13.

pulus litteris conciliari poterat. Quum vero viguit alia imitandi ratio, doctior et urbanior, quum Græci lepores fuere tandem in latinam scenam delati, plausibus eos excepere eruditi; sed evanuit illa plebis et poetæ concordia, ille spectantium cum spectatis consensus, quibus extinctis, languet sensim et extinguitur comœdia; humiliorque facta, orbataque hac luce theatri, in qua olim versabatur, intra privatas parietes migrare, et in paucorum consessu delitescere cogitur.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. XIII kal. aug. ann. M DCCC LVI,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

J.-VICT. LE CLERC.

Typis mandetur:
Academiæ Parisiensis Rector,
CAYX.

Impr. de BOURDIER et Cᵉ, rue Mazarine, 30.

PARIS. — IMPRIMERIE DE P.-A. BOURDIER ET Cie
30, rue Mazarine.

PARIS. — IMPRIMERIE DE P.-A. BOURDIER ET Cie
30, rue Mazarine.

NOV 13 1909

~~NOV 23 1953~~

512682.

Lp 26.647
Quomodo Graecos poetas Plautus tran
Widener Library 004109484
3 2044 085 221 141